

Canons of the Apostles

INCIPIUNT ECCLESIASTICAE REGULAE SANCTORUM APOSTOLORUM
PROLATAE PER CLEMENTEM ECCLESIAE ROMANAE PONTIFICEM,
QUAE EX GRECIS EXEMPLARIBUS IN ORDINE PRIMO PONUNTUR:
5 QUIBUS QUAM PLURIMI QUIDEM CONSENSUM NON PREBUERE
FACILE; ATTAMEN POSTEA QUAEDAM CONSTITUTA PONTIFICUM EX
IPSI CANONIBUS ADSUMPTA ESSE VIDENTUR

5r

I. EPISCOPUS A DUOBUS AUT TRIBUS EPISCOPIS ordinetur.

II. Presbiter ab uno episcopo ordinetur, et diaconus et reliqui clerici.

5v

10 III. Si quis episcopus aut presbiter praeter ordinationem domini alia quaedam
in sacrificio offerat super altare, id est aut mel aut lac aut pro vino sicera et
confecta quaedam, aut volatilia aut animalia aliqua aut legumina, contra
constitutionem domini faciens, congruo tempore deponatur.

15 IIII. Offerri non liceat aliquid ad altare praeter novas spicas et uvas et oleum ad
luminaria et thimiama, id est incensum, tempore quo sancta celebratur oblatio.

V. Reliqua poma omnia ad domum primitiae episcopo et presbiteris dirigantur,
nec offerantur in altare. Certum est autem quod episcopus et presbiteri dividant,
et diaconibus et reliquis clericis.

20 VI. Episcopus aut presbiter uxorem propriam nequaquam sub obtentu
religionis abiciat; si vero reiecerit excommunicetur, sed si perseveraverit
deiciatur.

VII. Episcopus aut presbiter aut diaconus nequaquam saeculares curas
adsumat, sin aliter deiciatur.

25 VIII. Si quis episcopus aut presbiter aut diaconus sanctum paschae diem ante
vernale aequinoctium cum Iudaeis celebraverit, abiciatur.

30 VIII. Si quis episcopus aut presbiter aut diaconus vel quilibet ex sacerdotali
cathologo facta oblatione non communicaverit, aut causam dicat, ut, si
rationabilis fuerit, veniam consequatur, aut, si non dixerit, communionem privetur,
tamquam qui populo causa laesionis extiterit, dans suspicionem de eo qui
sacrificavit, quod recte non obtulerit.

X. Omnes fideles, qui ingrediuntur ecclesiam et scripturas audiunt, non autem
perseverant in oratione, nec sanctam communionem percipiunt, velut
inquietudines ecclesiae commoventes, convenit communionem privari.

35 XI. Si quis excommunicato saltim in domo simul oraverit, iste communionem
privetur.

XII. Si quis cum dampnato clerico veluti cum clerico simul oraverit, iste
damnetur.

40 XIII. Si quis clericus aut laicus a communionem suspensus seu communicans ad
aliam properet civitatem et suscipitur praeter commendatitias litteras, et qui
susceperunt et qui susceptus est communionem priventur. Excommunicato vero
proteletur ipsa correptio, tamquam qui mentitus sit et ecclesiam dei seduxerit.

4 PLURIMI] *corrected from* PLURAMI 28 qui¹] *corrected from* quo 30 scripturas] *corrected from*
scriptoras 35 dampnato] *corrected from* dampno 38 commendatitias] *corrected from*
commendatias 39 priventur] *privetur*

XIII. Episcopo non licere alienam paroechiam propria relicta pervadere, licet cogatur a plurimis, nisi forte quis eum rationabili causa compellat, tamquam qui possit ibidem constitutus plus lucri conferre et in causa religionis aliquid profecto respicere, et hoc non a semetipso pertemptet, sed multorum episcoporum iudicio, et maxima supplicatione perficiat. 45

XV. Si quis presbiter aut diaconus aut quilibet de numero clericorum relinquens propriam paroechiam pergat ad alienam, et omnino demigrans praeter episcopi sui conscientiam, ut in aliena paroechia commoretur, hunc ulterius ministrare non patimur, precipue si vocatus ab episcopo redire contempserit in sua inquietudine perseverans; verumtamen tamquam laicus ibi communicet. 50

XVI. Episcopus vero apud quem demoratos clericos alterius esse constiterit, si contra eos decretam cessationem pro nihilo reputans, tamquam clericos forte suscipere, velut magister inquietudinis communione privetur.

XVII. Si quis post baptisma secundis fuerit nuptiis copulatus aut concubinam habuerit, non potest esse episcopus, non presbiter aut diaconus aut prorsus ex numero eorum, qui ministerio sacro deserviunt. 55

XVIII. Si quis viduam et eiectam acceperit aut meretricem aut ancillam vel aliquam de his, quae publicis spectaculis mancipantur, non potest esse episcopus aut presbiter aut diaconus aut ex eo numero, qui ministerio sacro deserviunt. 60

XVIII. Qui duas in coniugium sorores acceperit vel filiam fratris, clericus esse non poterit. 60

XX. Clericus fideiussionibus inserviens abiciatur.

XXI. Eunuchus, si per insidias hominum factus est, vel si in persecutionem eius sunt amputata virilia, vel si ita natus est et est dignus, efficiatur episcopus. 65

XXII. Si quis abscidit semetipsum, id est si quis amputavit sibi virilia, non fiat clericus, quia suus homicida est et dei conditionis inimicus. 65

XXIII. Si quis, cum clericus fuerit, absciderit semetipsum, omnino damnetur, quia suus est homicida.

XXIII. Laicus semetipsum abscidens annis tribus communione privetur, quia suae vitae insidiator extitit. 70

XXV. Episcopus aut presbiter aut diaconus, qui in fornicatione aut periurio aut furto captus est, deponatur; non tamen communione privetur. Dicit enim scriptura: "Non iudicabit dominus bis in id ipsum."

XXVI. Similiter et reliqui clerici huic conditioni subiaceant.

6r XXVII. Innuptis autem, qui ad clerum proveci sunt, praecipimus ut si voluerint uxores accipiant, sed lectores cantoresque tantummodo. 75

XXVIII. Episcopum aut presbiterum aut diaconum percutientem fideles delinquentes aut infideles inique agentes, et per huiusmodi volentem timeri, deici ab officio suo praecipimus, quia nusquam nos hoc dominus docuit. E contrario

42 rationabili] corrected from rationabilis 45 perficiat] first copied non perficiant, corrected to nonne perficiat 51 demoratos ... alterius] moratus corrected from memoratus 65 fiat] corrected from fuerit 79 hoc] added

80 vero ipse cum percuteretur non repercutiebat, cum malediceretur non remaledicebat, cum pateretur non comminabatur.

XXVIII. Si quis episcopus aut presbiter aut diaconus depositus iuste super certis criminibus ausus fuerit adtrectare ministerium dudum sibi commissum, hic ab ecclesia penitus abscidatur.

85 XXX. Si quis episcopus aut presbiter aut diaconus per pecunias hanc obtinuerit dignitatem, deiciatur et ipse et ordinator eius et a communione modis omnibus abscidatur, sicut Simon Magus a Petro.

XXXI. Si quis episcopus saecularibus potestatibus usus ecclesiam per ipsos obtineat, deponatur, et segregentur omnes quique illi communicant.

90 XXXII. Si quis presbiter contemnens episcopum suum seorsum collegerit et altare aliud erexerit nihil habens quod reprehendat episcopum in causam pietatis et iustitiae, deponatur, quasi principatus amator existens, est enim tyrannus; et ceteri clerici, quicumque tali consentiunt; aici vero segregentur. Hoc autem post unam et secundam et tertiam episcopi obsecrationem fieri conveniat.

95 XXXIII. Si quis presbiter aut diaconus ab episcopo suo segregatur, hunc non licere ab alio recipi, sed ab ipso, qui eum sequestraverat, nisi forsitan obierit episcopus ipse, qui eum segregasse cognoscitur.

100 XXXIII. Nullus episcoporum peregrinorum aut presbiterorum aut diaconorum sine commendaticii suscipiatur epistolis, et cum scripta detulerint, discutiantur adtentius et ita suscipiantur. Si praedicatores pietatis extiterint minus, nec quae sunt necessaria subministretur eis, et ad communionem nullatenus admittantur, quia per subreptionem multa proveniunt.

105 XXXV. Episcopos gentium singularum scire convenit, quis inter eos primus habeatur, quem velut caput existiment et nihil amplius praeter eius conscientiam gerant, quam illa sola singuli quae parroeciae propriae et villis quae sub ea sunt competunt, sed nec ille praeter omnium conscientiam faciat aliquid. Sic enim unanimitas erit et glorificabitur deus per Christum in spiritu sancto.

110 XXXVI. Episcopum non audere extra terminos proprios ordinationes facere in civitatibus et villis, quae illi nullo iure subiecte sunt. Si vero convictus fuerit hoc fecisse praeter eorum conscientiam, qui civitates ipsas et villas detinent, et ipse deponatur, et qui ab illo sunt ordinati.

115 XXXVII. Si quis episcopus non susceperit officium et curam populi sibi commissam, hic communione privetur quoadusque consentiat oboedientiam commodans; imiliter autem et presbiter et diaconus. Si vero perrexerit nec receptus fuerit, non pro sua sententia sed pro malitia populi, ipse quidem maneat episcopus. Clerici vero civitatis communione priventur, quod eruditores inoboedientis populi non fuerunt.

120 XXXVIII. Bis in anno episcoporum concilia celebrentur, ut inter se invicem dogmata pietatis explorent, et emergentes ecclesiasticas contentiones amoveant, semel quidem IIII septimana Pentecostes, secundo vero duodecimo die mensis Hyperveretei, id est iuxta Romanos IIII Idus Octobris.

XXXVIII. Omnium negotiorum ecclesiasticorum curam episcopus habeat, et ea velut deo contemplante dispenset, nec ei liceat ex his aliquid omnino contingere, aut parentibus propriis, quae dei sunt, condonare. Quod si pauperes sunt, tamquam pauperibus subministret, nec eorum occasione ecclesiae negotia deprahendantur. 125

XL. Presbyteri et diaconi praeter episcopum nihil agere pertemptent, nam domini populus ipsi commissus est et pro animabus eorum hic redditurus est rationem. Sint autem manifestae res propriae episcopi, si tamen habet proprias, et manifestae dominicae, ut potestatem habeat de propriis moriens episcopus sicut voluerit et quibus voluerit delinquere, ne sub occasione ecclesiasticarum rerum, quae episcopi esse probantur, intercidant. Fortassis enim aut uxorem habet aut filios aut propinquos aut servos, et iustum est hoc apud deum et homines, ut nec ecclesia detrimentum patiatur ignoratione rerum pontificis, nec episcopus vel eius propinqui sub obtentu ecclesiae proscribantur et in causas incidant, qui ad eum pertinent, morsque eius iniuriis malae famae subiaceat. 130
135

6v

XLI. Precipimus ut in potestate sua episcopus ecclesiae res habeat. Si enim animae hominum pretiosae illi sunt creditae, multo magis oportet eum curam pecuniarum gerere, ita ut potestate eius indigentibus omnia dispensentur per presbiteros et diaconos, et cum timore omnique sollicitudine ministrentur. Ex his autem quibus indiget ad suas necessitates et ad peregrinorum fratrum usus et ipse percipiat, ut nihil eis possit omnino deesse. Lex enim dei praecipit, ut qui altari deserviunt, de altari pascantur, quia nec miles stipendiis propriis contra hostes arma sustollit. 140
145

XLII. Episcopus aut presbyter aut diaconus aleae atque ebrietati deserviens, aut desinat aut certe damnetur. 145

XLIII. Subdiaconus aut lector aut cantor similia faciens, aut desinat aut communionem privetur; similiter etiam laicus.

XLIII. Episcopus presbyter aut diaconus usuras a debitoribus exigens, aut desinat aut certe damnetur. 150

XLV. Episcopus presbyter et diaconus, qui cum hereticis oraverit, tantummodo communionem privetur. Si vero tamquam clericos hortatus eos fuerit agere vel orare, damnetur.

XLVI. Episcopum aut presbyterum hereticorum suscipientem baptismum damnari praecipimus, quae enim conventio Christi ad Belial, aut quae pars fidei cum infideli? 155

XLVII. Episcopus aut presbyter, si eum qui secundum veritatem habuerit baptismum denuo baptizaverit, aut si pollutum ab impiis non baptizaverit, deponatur tamquam deridens crucem et mortem domini, nec sacerdotes a falsis sacerdotibus iure discernens. 160

XLVIII. Si quis laicus uxorem propriam pellens alteram vel ab alio dimissam duxerit, communionem privetur.

165 XLVIII. Si quis episcopus aut presbiter iuxta praeceptum domini non baptizaverit in nomine patris et filii et spiritus sancti, sed in tribus sine initio principiis aut in tribus filiis aut in tribus paraclitis, abiciatur.

L. Si quis episcopus aut presbiter non in trina mersione unius mysterii celebret sed semel mergat in baptisate quod dari videtur in domini morte, deponatur. Non enim dixit nobis dominus: “In morte mea baptizate,” sed: “Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine patris et filii et spiritus sancti.”